Landesarchiv **Sachsen-Anhalt**
archivgut **online**

Signatur: Z 1, Nr. 64

Titel: (Siegfried, Abt von Hersfeld und Nienburg)

Laufzeit: 1180

Digitalisat: Z_1__Nr_64__0001.pdf
02.05.2024 23:38:11

© Landesarchiv Sachsen-Anhalt

Digitalisate von Archivgut, die das Landesarchiv Sachsen-Anhalt in seinem Internetangebot veröffentlicht, sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen unter den Bedingungen der 'Creative Commons Namensnennung - Keine Bearbeitung 3.0 Deutschland Lizenz' [1] kostenfrei weiterverwendet werden. Dabei ist die Herkunft und die Signatur des Archivguts zu nennen.

[1] http://creativecommons.org/licenses/by-nd/3.0/de/

In nomine sancte et individue trinitatis Sifridus Hersfeldensis et Nuenburgensis abbas. Notum esse volumus tam futuris quam presentibus Christi fidelibus quod nos ob remedium anime nostre operam dedimus de contractu concambii cuiusdam inter ecclesiam Nuenburgensem et ecclesiam beate Marie in Magdeburg super duobus mansis sitis in villa Luderdeburg cum adiacente seu attinente curia in qua domus lapidea edificata fuit. Cum enim tota fere villa Luderdeburg ecclesie beate Marie pertineret et prefatos duos mansos cum attinente curia matrona quedam Adelheidis filia Thancmari ministerialis Nuenburgensis ecclesie possideret, post mortem mariti eius Cunradi attemptaverunt quidam mansos eosdem simul cum curia obtinere, unde proculdubio magnum imminebat ecclesie beate Marie dispendium. Cui evitando diligenti cura intuentes et petitione Olrici prepositi eosdem mansos in concambium dedimus ecclesie beate Marie sunt cum prefata curia, et pro eis duos mansos in villa Cortlinge quorum quilibet solvit xii solidos e contra vice recepimus. Acta sunt autem hec Nuenburg ex voluntate et petitione predicte Adelheidis consensu quoque Gersuindis sororis sue nec non assensu Gentheri sororii earum, qui aliquamdiu contradixerat, tandem consilio nostro cessit, et facto huic cum ceteris ecclesie nostre ministerialibus adquievit. Concambium vero istud per manum nostram et per manum advocati ducis videlicet Bernhardi celebratum est, presente et annuente preposito Nuenburgense cum fratribus eiusdem ecclesie presentibus quoque et facto consentientibus quampluribus nobilibus beneficiatis et ministerialibus ecclesie Nuenburgensis. Huius rei testes sunt Baldamarus frater noster, Conradus de Burg, Thedericus de Mulba et quamplurimi ministeriales ecclesie nostre. Acta anno dominice incarnationis m. c. lxxx. feliciter amen.

Z 1, Nr. 64

© Landesarchiv Sachsen-Anhalt - 02.05.2024 23:38:11 (906x1499)

Digitalisat: Z_1__Nr_64__0001
02.05.2024 23:38:12